

Clarissime & Eruditissime Domine,

PVdet me quod tam diu responsum distulerim ad id quod de rythmo Germanico jam pridem sciscitatus es. In causa fuit, non certe incuria mea, sed indiligentia eorum, quibus curam consulendi autographi commiseram. Id vero rejiciunt in confusionem librorum suorum, qui in acervum congesti sunt, ob violatum ex nupero terræ motu fornitem suæ Bibliothecæ. Revolvit tandem codices omnes, uti asserit, Bibliothecæ custos, nec invenit quod quærebamus. Litteras ejus rei indices ostendi Dño Smithe aliisque amicis tuis qui in hac urbe versantur, eas ad te missurus, si tanti esset, ad liberandam fidem meam. Rem iterum commendavi uni ex nostris, qui ante paucos dies Insulas profectus est. Si quid proficiet, faciam te quam primùm certiozem. Ceterùm gratias Tibi Clarissime Domine, ago quàm maximas, tum ob præclara benevolentix tuæ testimonia, quibus me non semel honorasti, tum ob transmissos ad me libellos tuos, in quibus eruditionem tuam ea qua par est reverentiâ suspicio. Vtinam medijs ille paries, qui nos religionis intervallo separat, dejectus esset ut in unum Christi corpus coalesceremus! Faxit DEus ut tandem aliquando votum hac de re meum succedat. De litteratis nostris non est quod ad te scribam, cum habeas in hac urbe adolescentes gnavos & benè morigeratos, qui te de omnibus moneant. Tantum vale & studiis nostris favere perge. Luteciæ Paris. Idib, Julii 1693.

Clarissime Domine,

Tui studiosissimus

Fr. Joh. Mabillon. M. B.